






Pictura































Officiarium
Magistratus, Medicorum, Amicorum,
PICTURA

Justitiæ, Æsculapi, Amicitiæ jam olim à viris veteribus naturæ peritis ingeniosè adumbratum, nunc verò primùm carmine dialogistico inclusum, & gravioribus Doctorum flosculis vestitum ac explicatum.

Auctore
SIMEONE PARTLICIO
de Spitzberg Marcom. Phil.
& U M. Doctore Math.
& P. C. C.



ANNO 1623
TanDeM Reges InteLLeXerVnt
bestIas InIqVas.

ERFURTI Typis Philippi wittelii
Impens. Johan. Birckneri Bibl.



Lycurgus in Orat. contr. Leoc.

Iratus ad pœnam DEUS si quos trahet,
Auferre mentem talibus primùm solet,
Caliginemq; offundit, ut ruant suas
Frequenter in clades, sibi quas noxijs
Accersiverunt ultró consilijs malis.

Conſcientia.

Exhilarat mentem recti mens conſcia noſtram:
Rebus in adverſis dimidiumq; mali eſt.



VIRIS
Clarissimis, Consultissimis,
D. HIERONYMO Bruckner, J. U. D.
Consuli Inclutæ Erfordiensium Reipub. amplissimo,
nec non
Ejusdem Reipub. *Syndicis consultiss.*
D. SEBASTIANO Neve, J. U. D.
D. LAURENTIO Norinbergio, J. U. D.
p. t. Magnifico, & Facult. Juridicæ Decano spectabili,
D. DAVIDI HESSIO JCto.
Atq;
D. HENNINGO Renneman J. U. D.
D. AUGUSTO Zeithofio J. U. D.
in Academia Erfordiana Professorib.
Viris deniq;
Clarissimis, experientissimis
D. DAVIDI CRUSIO,
Medicinarum Doctori excellentiss.
D. JOHANNI Rehenfeld,
Medico-Physico ejusdem Reipub. ordinario.
Dominis, fautoribus, ac amicis suis in debiti amoris τεκμήριον
D. D. D.
Autor.

I.

PICTURA JUSTITIÆ.

REge dignissimam esse virtutem Justitiam omnium Dominam & Reginam virtutum, *Cicero dixit: (offic. 3.)* nec immeritò. Nam fruendæ Justitiæ causa olim bene-morati Reges constituti sunt. Imò ex Justitiæ fonte Regia potestas orta est; optimates extiterunt; nobilitatis principia fluxerunt. Justitiæ admiratione Minos & Rhadamantes, Pittacus & Numa Pompilius, & alii complures filii Jovis, & apud omnes nobilissimi habiti sunt. Et profectò bon9 Princeps, cui curæ sũt universa, quãquã alia magis, alia min9 tuetur, nullam tamẽ non Reipub. partem tanquã sui nutrit:

nutrit: commoda civium non divellit; sed omnes eadem æquitate continet. *Senec. 1. de clem.* Requiruntur autem in civitate Lex & Magistratus. Si igitur lex deficiat, per lapsum nimirùm humanæ providentiæ, relinquendum hoc est Magistratui. Magna vis legis est, at major autoritas magistratus. In lege via est: at in Magistratu vita. Sine lege civitas langvescit; at sine Magistratu perit. Est enim Lex regula, quâ dirigitur: est Magistratus anima, quà conservatur. Si ergò lex erret, relinquitur Magistratus ut erratum corrigat: *nam aliquando bonus dormitat Homerus.* Et fieri certè non potest, ut mens Solonis

omnes rerum vicissitudines omnesq; morum mutationes prævideat. Homo DEUS non est, nec omnia præsentia scire potest. Qvi igitur Reipub. præsunt; duo Platonis præcepta maximè teneant: unum, ut utilitatem cîvium sic tueantur, ut quicquid agant ad eam referant obliti commodorum suorum: alterum, ut totum corpus Reipub. curent, nedum partem aliquam tuentur, reliquos deserant. Summos ergò cum infimis pari jure retineāt, ne queratur:

Quid faciant leges ubi sola pecunia regnat:
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?

Væ enim illis, qui leges aranearum telis similes faciunt, in quibus

quibꝰ infirmiora animalia hærent, cum easdem valentiora perrumpunt. *Plutarch. in Sol.* His permoti olim viri pleno ſapientes pectore, effigiem Iuſtitiæ ſingulari induſtria pingere, inq; eâ Regis & cujuslibet Gubernatoris ad clavum Reipub. ſedentis 8. officia ſcitè adumbrare ſoliti fuerunt. Ut nimirum Magiſtratus ſervet 1. *Mentis puritatem. 2. affectuum lenitatem. 3. Prudentiæ perſpicuitatem. 4. Judicij modum 5. Pœnæ æqualitatem. 6. Perſonarū reſpectum ſpernat. 7. Simplicitatem & candorem amet. 8. Avaritiam vitet.*

Nota. Sequentes verſus antiquos, paulò aliter diſpoſui & auxi.

Dialo-



Dialogus.

Justitiæ & Politici.

P. *Quæ Dea?* J. Justitia. (a) P. *Tu legum Diva potens es;*
Nobile quæ sceptrum totius orbis habes?
J. *Sum Dea.* P. *Cur virgo?* J. Sperno fera toxica lingvæ;
Fortius injusti pectus ad arma gerens:
P. *Lumine* (*b*) *quid torvo vultuq; gravi?* J. Quia flecti
Nescia sum lacrymis, nec prece, nec precio.
Parcere subjectis soleo & punire (*c*) rebelles;
Non nummi,me,non ira, furorq; regunt.
P. Quod genus? J. A superis. P. *Ex quo Genitore?* J. Modo. *P. Ecquà Matre?* J. Fide (*d*) P. Nutrix, quæ tua? J. Pauperies (*e*)
P. *Quis Deus infantem fovit?* J. Prudentia. (*f*) P. *Quonam*
Freta Duce, agnoscis crimina? J. Judicio. (*g*)
Est cujus radix fundamentumq; modusq;:
Ne facias aliis,quod tolerare nequis.

P. *Cur gladium tua dextra gerit? Cur leva bilancem?*

J. Ponderat hæc causas percutit ille reos. (*h*)

Qui pariter peccant, pariter punire requiro:

Non sit major, (*i*) vel crimine pœna minor.

P. *Aurium aperta tibi cur altera, & altera clausa est?*

J. Hæc surda injustis, panditur illa bonis. (*k*)

Si quis inauditis (*L*) ambabus partibus ullum,

Jus profert, æquum sit licet, ille equus est.

P. *Quid rari assistunt?* J. Quia copia rara bonorum est.

P. Quæ comes assidua est? J. candida simplicitas (*m*)

P. *Paupere cur semper cultu?* Justissimus esse,

Qui cupit, exiguas semper habebit opes. (*n*)

Notæ

1. *(a) Aristides interrogatus, quid esset Justitia?* **Aliena non con-**

cupiſcere, reſpondit. Unde Theocritus: Ἀγαθὸν οὐ τὸ μὴ ἀδικεῖν, ἀλλὰ τὸ μηδὲ ἐθέλειν. Et Pythagoras: *Peregrinus, qui juſtus eſt, non cive tantum, ſed etiam propinquo potior eſt.* Euripides: βίον δικαίου γίνεται τέλος καλόν.

2. (b) Judicem, qui juſtitiæ eſt antiſtes oportet esſe gravem, ſanctum, ſeverum, incorruptum, contra improbos immiſericordem, atq; inexorabilem, nec huc, nec illuc, ab honeſto oculos deflectere. *Gel. lib. 14. c. 1.* Unde Proverb. ἐστὶν δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.

3. (c) Duabus potisſimum rebus continetur Respublica, præmio ſcilicet & pœna. Legibus enim Propoſita

 ſunt

ſunt virtutibus præmia, ſupplicia viciis. Quis enim virtutem amplectitur ipſam, præmia ſi tollas? *Juv. Sat. 10.* Nam langveſcit induſtria, intenditur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes. *Tacit. Anal. 2.*

4. (d) Noli intelligere, ut credas, ſed crede ut intelligas, intellectus enim merces fidei eſt. *Aug. ſup. Joh. & Ambroſ. de Trin.* Aufer argumenta, ubi fides quæritur, in ipſis Gymnaſiis jam Dialectica taceat: piſcatoribus creditur, non Dialecticis.

5. (e) Si te paupertatis caminus excoquit, noli deſpondere animum. Hæc enim eſt tibi manuductrix ad virtutem: eſt unctio athletica ad labores:

eſt

eſt exercitatio ad doctrinam: eſt portus deniq; tranquillus ad gloriam. *Chryſoſt. ſup. Epiſt. ad Hebr. Et Stobæus de Arceſi.* Paupertas eſt efficax Gymnaſium virtutis.

6. (f) Sine prudentia ne intelligi quidem ulla virt⁹ poteſt. *Cic. Tuſc. quæſt. l. 2.* Eſt enim teſte Demoſthene, omnis virtutis principium, prudentia, finis autem fortitudo: & illa quidem exploratur quid facto ſit opus, hac autem conſervatur. Et Crito: ὁ φρόνιμος, ὥσπερ εἰς ὁδὸν τὸν βίον, οὐ τὰ πολλοῦ ἄξια συντίθησιν ἐφόδια, ἀλλὰ τὰ ἀναγκαιότερα. Unde Sophocles: Ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, ὁ νοῦς ἐν τῇ ψυχῇ. Et Socrates: Neq, equo ſine fræno, neq; divitiis ſine prudentia tutò uti

 poſſu-

possumus. Et Seneca de 4. virtut. Si prudens est animus tuus, vitæ actiones tribus temporibus dispensa: *Præsentia ordina: futura prævide: præterita recordare.* Nam qui nihil de Præteritis cogitat vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.

7. (g) Judicet ille de alterius errore, qui nòn habet in se ipso, quod condemnet: judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit punienda. *Aug. & Isidor de sum. bon. lib* 3. Gravius lacerantur pauperes à pravis judicib. quàm à cruentissimis hostibus. Nullus enim prædo tàm cupidus in alienis, quàm judex iniquus in suis.

8. (h)

8 (h) Seneca de Clem. in vindicandis impiis tria consideranda. 1. aut ut is, qui punitur, emendetur. 2. aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat. 3. aut, ut sublatis malis, cæteri securiores vivant. *Et Pythagoras*: Qui de malis pœnas non sumunt, bonos injurijs afficiunt. *Cave igitur ne dum ignoscis malis, bonos perditum eas.*, Salust. Iugur. Maxima enim illecebra peccandi est impunitatis spes. *Cic. pro Mil.* *Etiam, qui uni improbo parcit, multis bonis minatur. Pub.* Contra: unius improbi supplicio, multorum improbitas coërcetur. *Cic. 3. Act. Verr.* Et utilius est improbi supplicio multorum improbitatem coërcere,

quàm propter multos impro-bos uni parcere. *Id S. Art. in Verr.* Itaq; haud patiendum licenti-am ſcelerum, quaſi rabiem ad integros producere. *Saluſt. unde Ovid.*

——— Immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera
trahatur.

9. (i) Crudeles ſunt qui pu-niendi cauſam habent, modũ non habent. *Senec. 1. de clem.* Nunquam iratus, qui accedit ad pœnam, mediocritatem il-lam tenebit, quæ eſt inter ni-mium & pœnam. *Cic. 2 offic.* Unde, ſummum jus antiqui ſummam putârunt injuriam. (crucem) *Colum. l. 1.* Et Democritus: μοῦνοι θεοφιλέες ὅσοις ἐχθρὸν τὸ ἀδικέειν. Unde Sigiſm. à Sarau

Stiriæ

Stiriæ nobilis, dicebat: Justitia remotâ ad legum normam omnia regente, nihil esse regna nisi magna latrocinia.

10. (k) Phocylides. Non fer judicium, si non sunt ambo locuti. Huc pertinet.

Imago Judicis Justi.

Olim Pellæus juvenis cum forte sederet
Judex, & Actori alteram
Interea digito prudens occluderet aurem;
Interrogatus à suis:
Cur nam sic faceret: Satis Actori est, ait, una,
Servo alteram integram Reo.

11 (l) *Senecæ*: Qui aliquid statuit parte inauditâ alterâ,
Æquum licet statuerit, haut æquus fuit.

12 (m) Qui cupit divinitatis tenere fastigia, simplicitatis & humilitatis ima sectetur. Quicunq; vult fratrem præve-
nire

venire regnando, priùs illum præveniat obſequendo. Qui enim fuerit patientior ad injuriam, is potentior inſtituetur in regno.

13. (n) Cic. lib. 2. de Rep. Juſtitia præter cæteras totam ſe ad alienas utilitates porrigit, atq; explicat. *Et lib. 2. Offic.* Juſtitia mirifica quædam res multitudini videtur: Nec injuria. Nemo enim juſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatẽ timet: aut qui ea, quæ ſunt his contraria æquitati anteponit. Et paulò inferius: Itaq; illa tria quæ propoſita ſunt ad gloriam, omnia juſtitia conficit: et benevolentiam, quod prodeſſe vult

vult plurimis: et ob eandem causam fidem & admiratione͂, quod eas res spernit, & negligit ad quas pleriq; inflammati aviditate rapiuntur. Unde Isocrates: τοσούτῳ κρεῖττον δικαιοσύνη χρημάτων, ὅσῳ τὰ μὲν ζῶντας μόνους ὠφελεῖ, ἡ δὲ καὶ τελευτήσασι δόξον παρασκευάζει. Κακείνων μὲν τοῖς φαύλοις μέτεστι, ταύτης δὲ τοῖς μοχθηροῖς ἀδύνατον μεταλαβεῖν.



II.

PICTURA ÆSCULAPI.

ÆSculapius, Hermetis Trismegisti (qui fuit auditor Noachi & Chusi Pædagogus, ejusq; liberorum Isidis & Osiridis præfectus) discipulus, ex Ægypto in Græciam attulit Medicinam: & quidem tanto cum successu, ut Glancum Androgeonem, & Hypolytum Thesei filium, qui in deliquium animi inciderat, Virgilio monitore, pæoniis revocatum herbis, huic luci restituisse, opinione vulgi, sit creditus, divinisq; honorib⁹ adeò cultus, ut non saltem regnum ibi condiderit, sed & Medicinæ inventor celebratus fuerit, quemadmodum

modum ipse testatur apud Ovid. lib. 15. Met.

Inventum Medicina meum est opiferq; per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Hinc moti viri veteres naturæ periti, effiigiem Æsculapi admodum ingeniosâ inventione pingere inq; eâ octo Medici officia haut inscitè adumbrare soliti fuerunt. *Requiruntur nimirùm in Medico 1. Vigilantia & sedulitas. 2. Judicium. 3 Prudentia. 4. Cogniti morbi convenientibus medicamentis curatio. 5. Labor assiduus. 6. Non lucri, sed salutis ægrorum cupiditas. 7 Diætæ præscriptio. 8. Ætas & doctrina.*

Dia-



Dialogus

Philiatri & Æsculapi.

Ph. *Quis DEUS?* Æ Æsclapius. Ph.
Capiti cur *Noctua* sidit,
Æ. In studijs *Medicum* (*a*) perpetuum esse jubet.
P *Quid sibi vult asper Baculus Capitisq; Galerus?*
Æ. Omnia quàm cautè sint peragēda docent. (*b*)
Videlícet *Medicus* justa libret omnia lance;
Et vires ægri, remmedijq; modum.
P. *Callidus at collo cur circumvolvitur Anguis?*
Æ. Cautelà quà sit danda medela docet. (*c*)
P. *Squamosum ducit cur cum Cane dextra Draconem?*
Æ. Qua morbi tollas innuit arte malum:
Servãdo sanum corpus morbumq; fugando: (*d*)
Et propè terribilem ritè domando necem.
Insuper & vires rerum benè scire latentes
Queîs abigas *Tutò* & tot nocumenta *Citò*.

P. Cur

P. Cur *Pini Pomum gestas sibrasq́ sinistra?*
Æ. Hæc ars concusso non nisi cortice agit.
Scilicet in molli jacet haut Medicina theatro,
Quam Macrocosmus, quam vel Microcosmus alit. (*e*)
Huîc si tu cœli (*f*) junges Chymicosq́; labores (*g*)
Quàm benè Doctoris nomine dignus eris.
P. *Ales cur lateri adstat?* Æ. Proxima nempè salutis
Est ratio Medico, nullaq; habenda lucri (*h*)
P. *Aligeri in dextra Pullus?* Æ. Servare diætam (*i*)
Quidve ægro prosit, quid noceatvé, docet.
P. *Sed quid id est, quod sis canis* obsitus & *Annis?*
Æ. Ætas Doctores (*k*) arsq́; laborq́; decet.
Artis enim ignorans usum (*l*) quicunq; medetur,
Haut meruit *Medici* nomen habere boni.

Notæ

Notæ.

1. (a) Medicinam omnium artium esse & nobilissimã & difficillimam ostendunt 1. Subjecti nobilitas, quia nõ sordidi alicujus opificij, sed humani corporis Medico cura demandatur. 2. Requisitorum ad hanc varietas: ut sunt infinitarum disciplinarum cognitio; absoluta singularum Medicinæ partium eruditio: incredibile judicium: ingenij non vulgaris solertia; usus ac experientia diurna.

2. (b) Judicium versatur in distinctione similiũ ac dissimilium, causarum, corporum, signorum & remediorum: ex quà distinctione optimè per-

 specta

ſpectà, cognoſcendi, prædicendi, ac medendi ratio comparatur. Unde nîl mirum eſt, judicium eſſe difficile *Hipp. Aph. lib. 1* Præclarè celſus: Eſt perpetuum in Medicinà, quod fieri debeat, non tamen perpetuum eſt, quod ſequi conveniat. Multa plerunq; ſolitaria ratio ſuadet, quæ uſus coàrguit. Quare accedat judicio, experientià: alioqui, ut ait Saluſtius, utrumq; per ſe indigens; alterum alterius auxilio eget.

3. (c) Humana Natura ex Phyſicis rationibus à Medico indaganda eſt: ut ſciat 1. Quid ſit, & ex quibus fabricatus homo?

mo? 2. à quibus, & quomodo humana natura afficiatur? 3. Quæ sit cognatio alimanti vel medicamenti cum corpore cujusq; hominis? 4. Facultates medicamentorum, & quæ mala, ex quibus succis nascantur.

4. (d) Medici præcipua officia sunt 1. Sanitatem ab omni languore tueri. 2. Morbum exquisitè cognoscere. 3. Cognitum Medicamentis convenientibus curare *Tutò*, *Jucundè*, *Citò*. 4. Mitigare Symptomata. 5. Reficere convalescentes. 6. Fovere Senes.

5. (e) Medicus naſci debet ex lumine Naturæ & Gratiæ. Firmamentum eſt lumen Naturæ, quod homini omnia naturaliter influit. Sicut enim corpori ſuus creſcit è terra victus & medicamenta: ita etiam ſidereo hominis Spiritui ab igne firmamenti ſuus provenit cibus, artes omnes etc. Cœlum enim eſt pater & Doctor omnium artium, exceptà Theologià, quæ à Spiriru S. diſcitur. Lumen Gratiæ verum Theologum gignit, non tamen ſine Philoſophià. Lumen Naturæ verum Philoſophum efficit, non tamen ſine Theologià, quæ fundamentum eſt veræ Sapientiæ. Medicamenta igitur

tur eruuntur ex Lumine Naturæ, non ſine ingenti labore, præeunte lumine Gratiæ. Inter hæc vegetabilium ſunt inferiores vires in curandis morbis. Animalium majores, Mineralium & Metallorum ſummæ.

6. (f) Aſtrologia, hoc eſt ſyderum curſus notitia, Medico haud ſanè levia affert in curando & præſagiendo ſubſidia. Hàc ſiquidem mediante M. ille Hippoc. peſtilentias, alioſq; Epidemios morbos plures prædixit, diſcipuloſq; ſuos, ſimul atq; graviùs hoc malum prævidit, huc illuc per univerſam Græciam in mortalium ſolatium ablegavit *Et Gal. lib 3. de in-*

gen.ſanit.c.20. Medicos ignaros, Aſtronomiæ homicidas vocat. Undè non poſſum ſatis non mirari, non nullorum paſtorũ ignorantiam, qui cum ſtolidi nihil ſolidi effutire poſſint, Aſtronomiam S. ſcripturæ ſiniſtrè detortis ſententiis, vulgo exoſam reddere cupiunt; cum tamen de his tantum judicare poſſint, quãtum ſimia de alliis ne dicam aſinus de Lyrâ. Sed hâc de re fuſiùs in noſtrâ mundi aureâ harmoniâ, & Aſtronomico Apologetico.

7. (g) Nemo eſt, quì dubitet chymiam eſſe artem præſtantisſimam, ut quæ tot DEI Optimi Max. opera patefacit, tot

tot pandit Naturæ arcana, tot antehâc ignotas pharmacorum præparationes, herbarum deniq; animantium, minerali um ac omnium penè rerum abditos & in ipso naturæ sinu reconditos usus depromit, ut in humanum genus ingrati sint, qui sepultam illam volunt.

8. (h) Medico plus curæ sit salus hominum, quàm bursa monentium *l.1. §.1. de extr.*

9. (i) Si quis sese regeret ut equum suum, â multis præservaretur morbis. *Rabbi Mos.* Ex intemperantiâ enim, & vario ciborum genere, magna morborum seges oritur.

Sunt autẽ in homine triplices morbi. 1. Ex igne & aëre, quæ duo elementa generant & inficiunt hominis ſpiritum; Unde ſunt morbi, quos Epidemios vocamus, & Aſtrales. 2. Ex aquâ & terrâ, quæ duo conſtituunt & cauſant tartarum, calculum, & omnes morbos tartareos. 3. Ex Ente & ſemine parentum, & illi continent in ſe: 1. Quatuor curſus elemẽtorum, undè omnes morbi acuti. 2. Septem curſus Planetarum; unde morbi Chronici, qui durãt, quamdiu durat curſus illius Planetæ. 3. Quatuor curſus humorum, unde ſunt ſalia, & quidem diverſi ſaporis, quæ Galeniſtæ humores vocãt.

4. Quatuor cursus qualitatum; unde sũt complexiones Sang. Chol. Phleg. Mel.

10. (k) Consilii præstantia non ex annorum numero pendet, sed ex ingenii sagacitate, & singulari industriâ *Isocrat. in Archid.*

11 (l) Usus enim rerum egregius Magister habetur. Et quæritur: *Uter Medicorum præferendus; Theoricus ne qui Diætam præscribit: an Practicus, qui morbo quàm optimè nôrit mederi, sanitatemq; certã potiùs, quàm subitam restituere?*

Sed hic tenendum illud:

Non verbis sed herbis morbi curantur.

III.

PICTURA AMICITIÆ.

AMicitia, quæ affabilitas dicitur, eſt pars Juſtitiæ, quia eſt ad alterum, licet non habeat debitum niſi honeſtatis. Is enim amicus eſt, qui eſt tanquã alter idem. Unde Hieron. teſte, *de amicitiâ tollenda eſt omnis ſuſpicio, & ſic cum amico quaſi cum altero ſeſe loquendum.* Natura enim ſolitarium nihil amat, ſemperq; ad aliquid, tanquam ad miraculum annititur. Unde Cicero: *Solem, inquit, é modio tollere videntur, qui amicitiam é vita tollunt.* Amicitia

citia autem, quæ desinere potuit, nunquam fuit vera. Errat etiam, qui amicitiam in atrio quærit, & in convivio probat. *Isiod. lib. 3.* Certissima autem regula discernens veros & sinceros amicos à fucatis, & simulatis, est calamitas. Is enim amicus est, qui in re dubiâ, re juvat, ubi re opus est. *Euripid.* Nam in prosperitate incerta est amicitia: Nescitur enim utrum persona, an felicitas diligatur? Unde rectè:

Dùm fortuna juvat vultum servatis Amici;
Dùm cecidit turpi vertitis ora fuga.

Sæpè enim per simulationem

 colitur

colitur Amicitia, ut qui non potuit apertè, fraudulẽter decipiat. Interdum propter quorundam honores, mutantur & mores: & quos ante conglutinatos Charitate habuerunt, postquam ad culmen honoris veniunt amicos habere despiciunt. Hinc veteres ingeniosissimè amicitiæ picturam finxerũt, quâ sinceri juxta & non simulati amici officia 8 scitè adumbrârunt. *In amicis enim requiritur 1. Amoris augmentum. 2. Candor non fucatus. 3. Copula amicitiæ sincera. 4. Amor ex corde proveniens. 5. Amicitiæ cultura cum omnibus honestis, etiam pauperibus. 6. Constantia in adversis 7. Amor etiam absentis amici. 8. Dilectio in vitâ & morte.*


HIEMS·ÆSTAS
PROCVL·PROPE
MORS VITA

Dialogus.

Sodalis & Amicitiæ.

S: *Quæ DEA? Quis juvenis vernanti flore tenellus!*

A. Conſcia nec fraudis, nec doli *Amicitia*

S. *Cur juvenis?* A. creſcens, creſcentem paſcit amorem,

Ætas, (*a*) ceû viridi in palmite gemma virens.

S. *Sed quid frons pictà nuſquam decorata calyptrà?*

A. Candorem in vero quærit amore pium. (*b*)

S. *Cur coma fronte jacet?* A. venientem ut prendere posſis;

Et dextram dextræ jungere amicitiæ (*c*)

S. *Quid ſcisſum penetrale ſecreti cordis?* (*d*) A honeſtum,

Fraude doloq; carens uſq; requirit opus:

Condis amicitias: prius elige commoda cordis; (*e*)

Ne det *Amicorum* copia damna tibi.

Non

Non scelus occultet fraus, non injuria linguæ;
Non ornet vetitâ fictio voce dolos.
S. *Quid filo tenui toga texta?* A. colendus honore,
Æquâ vel Cræsus, lege, vel Irus erit. (*f*)
S. *Quid sibi vult Æstas & hyems hirsuta?* A. vacillet
Ne promissa semel, vel data amica fides.
Neve, juvat dùm sors, adsis, sed dùm tonat indè
Aufugias, (*g*) hyemem ut turpis hirundo fugit.
S. Quid *Longè, Propè?* A. Quod distantia nulla locorum,
Ingenuè ceptas solvit *amicitias*. (*h*)
Sed licet extremos fato sis pulsus ad Indos
Hospes, sub memori pectore amicus erit.
Ut tibi collatus juvenis *Phocæus Orestem*
Oderit, & spernat *Thesia Pyrithous*:
Sycanium Pyladem credatur fallere *Damon*;
Vixq; bonum frænis Castora frater amet.

Quid

H. Quid *Mors*? Quid *Vita*? A Esse adeò aspera nulla favoris
Vincula, quæ facili solvere lege queant (i)
A. Ergò cœrulei donec convexa tueris Olympi,
Et tua dùm calido vena cruore salit
Nunquam pro sociâ renuas succumbere morti:
Sis meus in vitâ; sis meus inq; nece.

Notæ

1. (a) Salust. Ut amicorum copia tibi sit operam dato. Iis enim temporibus, locis, & casibus tibi præfuturi sunt, quibus haud credas. Preciosissimus enim thesaurus est, & omnibus opibus antecellit amicus prudens & benevolus. *Herodot.* Et nihil est quod ad rem se ullam tàm alliciat, quā ad amicitiam similitudo. Hinc boni bonos diligunt, sibiq; adsciscunt,

ſciſcunt,q. propinquitate conjunctos atq; natura. Magnam enim vim habet ad conjungẽdas amicitias, ſtudiorum ac naturæ ſimilitudo: *Cicer.* Addo ego, ſiderum etiam cœleſtium in nativitatib. diſpoſitio curſus & occurſus.

2. (b) Auguſt. Sicut amici adulantes pervertunt, ſic inimici litigantes plerunq; corrigunt. Amicitiæ ergò, quæ non placent, disſuendæ magis, quàm diſcindendæ ſunt. *Cato M* Nam ut monere & moneri proprium eſt veræ *Amicitiæ* & alterum liberê facere, nõ aſperè: altreum patienter accipere, non repugnanter: Sic habendum, nullam in amicitiis peſtẽ

esſe

esse majorem, quam adulatio nem, blanditias, assentationē *Cic in Læl.*

3. (c) Obsecro te, inquit Seneca, ne amicū, qui diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur, pariter cum oculis mente amittas. Sunt autem quatuor species amicitiæ: *1. Amicitia studiosorum est ex honesto. 2. Aulicorum ex poculis. 3 Militum ex periculis 4. Mercatorum ex utili.*

4. (d) Sicut sol largitur vitam omnibus rebus in Macrocosmo: ita cor Microcosmum, h.e. hominem vivificat: & in hoc est sedes amoris:

Nam

Nam *Amor fidelis non in atrio domus;*
Sed in recessu pectoris fixit larē
Hic est honoris atq; virtutis locus,
Unde enitescunt actiones inclutæ,
Quas fama clarat, & perennitas
sarrat.

5. (e) Ambros. Solatium vitæ est amicus, ut habeas cui pectus aperias, arcana communices, qui in prosperis gratuletur, in tristibus compatiatur & adsit. Et August: *Amicus dimidium est animæ, medicamētū vitæ.* Unde istud: Amicorum communia sunt omnia 9. Ethic. hoc est, ex consensu & favore, non ex jure.

6 (f) Cic in Læl. Ut benefici liberalesq; sum9, non ut exigam9

gratiam

gratiam (neq; enim benefici-um fœneratur) ſed natura pro-penſi ad liberalitatem ſumus: Sic amicitiam non ſpe merce-dis adducti, ſed quod omnis e-jus fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putemus.

7. (g) Cic. 4. ad Heren. Ut hirundines æſtivo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ rece-dunt: ita falſi amici ſereno vi-tæ tempore præſto ſunt, ſimul atq; fortunæ hyemem vide-rint, devolant omnes. Et ut aurum igne, ſic benevolentia fidelis periculo aliquo perſpici ſolet. *Cic. Pap. Fam. 9.* Ergo plures amicos re ſecundâ com-pares: Paucos rebus adverſis proba. Pittacus.

8. (h) Arist. Distantia loci non separat amicitiam, quia animorum conjunctio est. Igitur in præsentià amicũ ama: in absentia lauda: in necessitate proba. Et Seneca: omnia cum amico delibera, sed de ipso priùs; post amicitiã credendum est, ante amicitiam judicandum. Nec tamen absentem propter præsentem deseras. Amici enim novi, non sunt veteribus anteponendi, ut equis vetulis, teneros anteponere solemus. Non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum societates: Veterrima, quæq; svavissima esse debent: novitates tamen non repudiandæ; vetustas autem

suo

ſuo loco conſervetur. *Cic. in Læl.*

9. [i] Amicus ſit in vita, in morte & ad aram uſq;. Unde Pericles amico roganti, ut pro ſe falſum diceret teſtimonium, cui erat adjunctum jusjurandum, reſpondit: *Se quidem amicum eſſe, ſed uſq; ad aram:* Sentiens gratificandum quidẽ amicis, ſed citra violationem religionis. Hinc fit, quòd ſæpius amicitiæ diſsolvantur: & ex amicis fiunt acerrimi hoſtes. *Unde Eraſ. Qui ex balneo calent, vehementiùs frigeſcunt; & aqua frigidior eſſe ſolet, quæ priùs caluit: ita vehementiùs ſeſe oderunt, qui priùs fuerunt amici: & ſceleratiores ſunt, qui à piâ viâ, ad impiám ſe tranſtulerunt.*

Et Chrysostomus de amicis sibi invicem natis: Sie sind wie ein siedender Topff: Denn weñ sie für Grimme vberlauffen / so leschet jr bitter Gallenwasser das Fewr der Liebe
auß.



Quod *Lex* colligit, aut *Ars*,
Hoc *Venus* eripit, aut *Mars*.

Non benè conveniunt, nec in unâ sede morantur;
Lex, *Venus*, *Ars* & *Mars*, qui imperium orbis habent.
Mars Veneris socius corrumpit corpora nostra;
Hæc eadem reparat *Legis* & *Artis* amor.
Ars animi bona defensat, *Lex* corporis atq;
Fortunæ, id *Martis* dissipat omne furor.
Est & *Lex* mihi *Mars* hoc Martis tempore non *Ars*:
Quò mihi *Lex* & quò *Ars*, si modò *Lex* mihi *Mars*?

FINIS.



